357

Hanc tua penolope lento tibi mittit ulixe.
Nil michi rescribas at tamen ipse veni.
Troia iacet certe danais invisa puellis.
Vix priamus tanti totaque troia fuit.
O utinam tunc cum lacedemona classe petebat
Obrutus insanis esset adulter aquis.
Non ego deserto iacuissem frigida lecto.
Nec quererer tardos ire relicta dies.
Nec michi querenti spaciosam fallere noctem
Lassaret viduas pendula tela manus.
Quando ego non timui graviora pericula veris.
Res est solliciti plena timoris amor.
In te fingebam violentos troas ituros.
Nomine in hectoreo pallida semper eram.
Sive quis antilocum narrabat ab hectore victum
Antilocus nostri causa timoris erat.
Sive menetiaden falsis cecidisse sub armis.
Flebam successu posse carere dolos.
Sanguine tlepolomus liciam tepefecit astam.
Tlepolomi leto cura novata mea est.
Denique quisquis erat castris iugulatus achivis.
Frigidius glacie pectus amantis erat.
Sed bene consuluit casto deus equus amori.
Versa est in cinerem sospite troia viro.
Argolici rediere duces altaria fumant
Ponitur ad patrios barbara preda deos.
Grata ferunt niphe pro salvis dona maritis.
Illi victa suis troica fata canunt.
Mirantur iustique senes trepideque puelle.
Narrantis coniux pendet ab ore viri.
Atque aliquis posita monstrat fera prelia mensa
Pingit et exiguo pergama tota mero.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1665/0005

MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG